Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 775
Quelle:
Copyright:

humeris intelligam, optarem a summo optimoque Joue &c. Caussa, quod Autorem *publice poetarum lectionis in hoc suo gymnasio dignum esse percensuit* Princeps. Itaque laus Urbis, *quam Galli a baccis virgulti minutissimi* (Myrtilli) *Heydelbergam nominarunt*, quae etiam *Marq. Freberi* et *Pauli Melissi* fuit opinio, sed quid hic *Galli?* Laus ampla *Friderici* a stirpe, et Gestis, inter quae cum Victoria de foederatis Principibus a. 1462. relata non censeatur, Panegyricum hunc anteriorem aestate illius anni esse oportet. Definit ille in versus, quos inter:

Vincere fortunam magis (plus?) *est, quam monstra domare.*
Herculeo majus nomine nomen habes.

4) *Debita Curialium Sacerdotum.* Minus apta inscriptio. Παραινεσις enim est in modum Epistolae ad *Johannem Ernesti* hominem quidem sacrum, sed *Friderici* Principis negotiis aulicis ita immersum, ut inde morbum cardiacum contraxerit, e quo cum convalescentem *Luderus* artis medicae, ut ipse ait, non imperitus invisisset, occasionem inde nactus suadet, ut *corpus quietum et mentem tranquillam* praebeat, evitetque *ambitionem atque aridam auri habendi sitim*, congestis in hanc rem plurimis Veterum locis. Initium est: *Cum nuper V. C. casum valitudinis tue peracerbum intelligendo vna cum petro brechtel viro omnium humanissimo* &c. Et finis: *et auctoritate tua confirmes. Vale iterum et me tibi deditum habeto et commendatum. Datum Heydelberge 6°. nonas Madij* (ab Italia relatum) 1458. En igitur Virum haud indoctum, cujus resuscitata memoria saltem Senatui Academico *Heidelberg.* jucunda esse possit.

X. *fol.* 80. *Tractatus Magistri Jordani de dignitate Imperiali.* Retuli Tractatum hunc etiam inscriptum *de Translatione*, item *de Commendatione Rom. Imperii Vol.* I. P. II. *Cod.* CCCXII. Exemplum praesens pariter *Memoriale Jacobi Card. Columnae* praefert, utiliterque cum praecedente ob varietatem lectionis contendi poterit. Cetera vide loco mox *cit.* Ad calcem: *Et tantum de Regibus. Anno &c. quinquagesimo quarto.*

XI. *fol.* 112. ἀνεπιγραφως Comoedia praemisso Prologo metrico, et Argumento prosaico, quorum ille prosodia non parum vapulante incipit:

Corripio matres, gnatas ne numina ducant
Sanctorum spectare virum, nec grandia gesta &c.

istud vero amatoriam Fabulam *Gracchi* et *Poliscenes* (Polyxenae?) in nuptias, uti mos, desinentem, et technas *Gurgulionis* (Cur-